Σ VIII. 44.

15599 I

Biblioteka Jagiellońska
stdr0002699

BJ VC

587324

Mag. St. Dr.

Σ VIII. 44.

1825

Theolog polit

SYNODUS PROVINCIALIS GNESNENSIS PROVINCIÆ,

SUB

ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO

D. MATHIA ŁUBIENSKI

Dei & Apostolicæ Sedis Gratiâ
ARCHIEPISCOPO GNESNENSI,
Legato Nato, Regni Poloniæ
Primate & Primo Principe.

VARSAVIÆ

Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Tertio
Die Octava Mensis Novembris.

CELEBRATA.

Ibidem.
In Officina PETRI ELERT S R.M. Typographi, Anno D. 1646.

INNOCEOTIUS PP. X.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

MIlitantis Eccleſiæ regimini, nullis licèt noſtris ſuffragantibus meritis, divinâ diſpenſatione præpoſiti, ex injuncti Nobis muneris debito, felici proſperoq; Eccleſiarum quarumlibet ſtatui & directioni ſedulò intendimus, atq; hæc, quæ propterea præſertim per earundem Eccleſiarum Præſules piè & providè facta fuiſſe comperimus, ut firma perpetuò ſubſiſtant, inviolatèq; obſerventur, Apoſtolicæ Noſtræ confirmationis munimine roboramus, prout ad Divini cultus, ac Catholicæ religionis incrementum, animarumq; Chriſti fidelium ſalutem conſpicimus in Domino ſalubriter expedire. Cùm itaque ſicut ex literis Venerabilis Fratris Matthiæ Archiepiſcopi Gneſnenſis, per Dilectum filium Joannem Matthæum Judicki Archidiaconum Pomeraniæ in Eccleſia Vladiſlavienſi, & Canonicum Gneſnenſem, à Clero Regni Poloniæ ad nos pro præſenti confirmatione obtinenda miſſum, accepimus, ipſe anno Milleſimo Sexcenteſimo Quadrageſimo tertio, Synodum Provincialem celebraverit, in ipſaq; Synodo nonnulla Decreta, quæ à Venerabilibus

Fratri-

Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Sacr: Concilii Tridentini Interpretibus, jussu nostro, accuratè perlecta, & recognita, ac ubi opus fuit emendata sunt, condita fuerint. Nos egregiam ipsius Matthiæ Archiepiscopi, & Venerabilium Fratrum Episcoporum Comprovincialium suorum pietatem, & Catholicæ religionis zelum, ac in nos, & hanc Sanctam Sedem devotionem summoperè commendantes, & communi in illa Provincia eorum Decretorum observationi quantum cum Domino possumus consulere volentes, Synodi præfatæ, quam eidem Matthiæ remittimus, statuta, sic, ut præfertur recognita, & emendata, ab omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, tam Sæcularibus, quàm cujusvis Ordinis Regularibus, ac aliis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ad quos quomodolibet spectat, inviolabiliter observari præcipimus & mandamus, eundemq; Matthiam Archiepiscopum & Episcopos Comprovinciales suos præfatos hortamur in Domino, & attentè monemus, ut Decreta præfata, juxta eorum formam & tenorem, in suis Diœcesibus publicent, & illa publicari, atq; ab omnibus & singulis dictæ Provinciæ personis sæcularibus & regularibus alisq; præfatis in omnibus, & per omnia integrè, ac sub sententiis, censuris, & pœnis in eis forsan contentis,

recipi, admitti, observari, præstari, & debitæ executioni demandari faciant. Decernentes neminem ab eorum observatione quovis prætextu & causa se excusare debere, ac irritum & inane, si secus super his à quoquam quâvis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. In contrarium facien: non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die XVIII. Decembris M.DC.XLV. Pontificatus Nostri Anno secundo.

M. A. Maraldus.

LITERÆ
EMINENTISSIMI CARDINALIS CARAFE.

Perillustris & Reverendissime Domine uti Frater.

SYnodum Provincialem, quam Amplitudo Tua, & Comprovinciales Episcopi, nuper in unum convenientes, ad morum reformationem, ad Ecclesiasticæ disciplinæ conservationem, ad decus Episcopalis officii, isthîc salubriter celebravêre; quamquè per specialem Procuratorem Rndum Dnum Joannem Matthæum Judicki Canonicum Gnesnensem & Archidiaconum Pomeraniæ, ad Summum Pontificem & Sanctam Apostolicā Sedem, examinandam, corrigendam, & approbandam misit, delatam jussu Sanctissimi Dñi Nostri, & ex proprio munere ad Sacram Congregationem Eminentissimorum Patrum Sacri Tridentini Concilii Interpretum, & maturè perlectam, examinatam, atq; in necessariis correctam,

ad ean-

ad eandem Amplitudinem Tuam, per ipſummet Procuratorem remittimus, ut opus ad populi ſalutem, Cleriq; reformationem, multis vigiliis multisq; laboribus Amplit: Tuæ, & Còépiſcoporũ inceptum, & continuatum, lucem publicam aſpiciat, fructusq; pariat, quos veneranda tantorum Patrum pietas ſibi ab initio propoſuit, quoſvè ex intimis viſceribus ipſa Romana Eccleſia tanquam communis Mater expoſtulat, quæ inter graviſſimas curas quibus angitur, ſolicitudine quâ tenetur omnium Eccleſiarum, non potuit eximiam Religionem, devotumq; in ſe nuper exhibitum obſequium Præclariſſimorum Antiſtitum, ſummis laudibus non efferre & plurimum in Domino lætari, quod Rempublicam iſtam, tam ſacris Infulis, quàm Magiſtratibus rectiſſimè adminiſtrantes, & tam ſpiritualia quàm temporalia imperia propagantes, non minus inviſibilibus, quàm viſibilibus inimicis murũ æneum Domus Iſràél præſeferre ſtudeant. Quæ quidem inſignia facinora, ſicuti nullum hortationibus locum relinqvunt, ſic eandem Apoſtolicam Sedem ad majora in dies edenda Maternæ charitatis ſuæ teſtimonia excitant ac impellunt, ut in harũ redditione fuſiùs refert idem Rñdus Dñus Archidiaconus Pomeraniæ, qui tantâ ſedulitate, tantoq; ſtudio ſegeſſit in Confirmatione hujuſmodi promovenda & confutandis ſæpiùs excitatis objectis, ut non ſolùm ipſi diuturna in expeditione mora non ſit imputanda, quæ ſolùm multiplicitati opponentium debetur; quin imò ipſius ſolertiæ tribuendum, quòd poſt longas contradictiones finem tandem invenerit. De cætero Amplit:

Tuæ annorum seriem, & Cælestium Charismatum eam precamur affluentiam, quibus piissimos pro Ecclesia & Republica susceptos labores, felici exitu valeat ad omipopotentis gloriam coronare, Romæ 24. Februarii 1646.

Amplitud: Tuæ

uti Frater studiosus

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa.

Fran: Paulutius S.C.C. Secr:

à tergo.

Perillustri & Reverendissimo Dño uti Fratri, Domino Archiepiscopo Gnesnensi Regni Poloniæ Primati.

Quod itaq; reliqvum est, nos easdem Constitutiones in lucem damus, & per præsentes publicamus, atq; ab omnibus per Regnum Poloniæ & Magnum Ducatum Lithvaniæ recipi & observari percupimus, ad quod uti omnes & singulos per easdem Ditiones Primatiali & Metropolitanæ nostræ Iurisdictioni subjectos hortamur, ita pronis animis facturos confidimus, præsertim accedente Illustrißimorum & Reverendißimorum Dominorum Lociordinariorum studio, quod hac in re non defuturum certo Nobis pollicemur. Adijci præterea ad calcem ejusdem Synodi Nostræ curavimus nonnulla Apostolica nupera Rescripta & Decreta, quorum alia cum cæteris Provinciis & Regnis nobis communia, alia huic duntaxat Regno & Provinciæ nostræ Gnesnensi sunt accommodata. Quæ omnia ut ad Divinæ gloriæ incrementum, felix Ecclesiarum Nobis commissarum regimen, & disciplinæ Ecclesiasticæ conservationem, cedant; Divinam bonitatem toto corde supplex oro. Ex arce Uniejoviensem, die 12. Mensis Augusti Anno Domini M.DC.XLVI.

ACTA

ACTA
&
CONSTITVTIONES
SYNODI PROVINCIALIS.

Anno Domini, Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Tertio, die Dominico, quæ fuit dies Octava Mensis Novembris Varsaviæ inchoatæ, & quatuor sequentibus continuatæ.

IN Nomine Sanctissimæ & Individuæ TRINITATIS, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Synodus Provinciæ Gnesnensis, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo Tertio, Indictione Undecimâ, Pontificatus Sanctissimi D.N. D. URBANI Papæ VIII. Anno vigesimo primo, pro die Octava Mensis Novembris, Varsaviæ in Ecclesia Collegiata Sancti Joannis, legitimè celebrata. Præsidente Illustrissimo & Reverendissimo Domino D. MATHIA ŁUBIENSKI Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopo Gnesnensi, Legato Nato, Regni Poloniæ Primate,

primoq;

primoq; Principe. Præsentibus autem Illustrissimis & Rñdissimis Dominis Comprovincialibus Episcopis, Petro Gembicki Cracoviensi, Nicolao Alberto ab Olexow Gniewosz Vladislaviensi & Pomeraniæ, Andrea de Szoldry Szoldrski Posnaniensi, Andrea Gembicki Luceoriensi, Alexandro Trzebinski Præmisliensi, Vicecancellario Regni, Georgio Tyszkiewicz Samogitiæ, Paulo Piasecki Chelmensi, Alexandro Sokolowski Kiioviensi, Andrea à Leszno Leszczynski Camenecensi, Nicolao krosnowski Vendensi, ac Illustrissimi & Reverendissimi Dñi Stanislai Grochowski, Archiepiscopi Leopoliensis nomine Luca Witkowski Canonico Leopoliensi, Serenissimi Principis Poloniæ & Sveciæ Caroli Ferdinandi Vratislaviensis & Plocensis Episcopi, Illustrissimo & Rñdmo Dño Alexandro Trzebinski Episcopo Præmislieñ Vicecancellario Regni, Gaspari Dzialynski Culmensis & Pomezaniæ, Georgio Alexandro Dorpowski Canonico & Officiali Generali Culmensi, Petro Parczewski Smolenscensi, Episcoporum; necnon Illustribus & Adm Reverendis Dñis, Alexandro Glembocki Archidiacono, Stanislao Slawinski Cancellario, Sigismundo Cielecki Canonico Gnesneñ: Andrea Srzedzinski Episcopo Nicepolieñ: Suffraganeo Leopoliensi, Joanne Tarnowski Archidiacono, & Georgio Grochowski Canonico Cracovieñ: Stephano Casimiro Charbicki Præposito, Sebastiano Grotkowski J.U.D. Archidiacono Vladislaviensi, Joanne Branecki Archidiacono Pscevensi, Alberto Grabowski Canonico

Posna-

Posnanień: GASPARO ZALIWSKI Archidiacono Vilnensi, PAULO POTRYKOWSKI J.U.D. Archidiacono Pułtoviensi in Ecclesia Cathedrali Płoceń: JOANNE KRAIEWSKI Canonico Płoceń: PETRO USZYNSKI Decano, VALERIANO WILCZOGORSKI J.U.D. Archidiacono Luceoriensi, STEPHANO à Siecin SIECINSKI Cantore Præmisliensi, GEORGIO ŁOPACINSKI J.U.D. Archidiacono Samogitiæ, ALEXANDRO DOPROWSKI Canonico & Officiali Generali Culmeń: CHRISTOPHORO BAKOWSKI Decano Chełmensi, PETRO PRZESPOLEWSKI Canonico Kijoviensi, CASIMIRO OPACKI Decano Camenecensi, JOANNE ROWINSKI Smolenscensi, Capitulorum Nunciis. Reverendissimis item Dominis, JOANNE MADALENSKI Episcopo Theodosień: Suffraganeo Gnesneń: Landensi, STANISLAO de Bogusławice SIERAKOWSKI Sanctæ Crucis, PAULO GOSLAWSKI Paradisiensi, THEODORO PAWLOWSKI Bledzovień: CHRYSOSTOMO GORAZDOWSKI Płocensi, Abbatibus. JOANNE STRZEMBOSZ Mstoviensi, ANDREA FAUSTO UNIKOWSKI Koscielneń: NICOLAO JASKOLSKI Strzelneń: ALBERTO TOLIBOWSKI Płocensi, Sanctæ Mariæ Magdalenæ, Præpositus. Illustrium quoque & Rñdissimorum Dñorum, JOANNIS GEMBICKI Præpositi Miechovień: JOANNE SACALSKI Custode Miechoviensi, STANISLAI ZAREMBA Sulejoviensi, STANISLAO CZECHOWSKI Priore, SAMUELIS PLAZA Vitoviensi, MARTINO PAWLIKOWSKI, JOACHIMI MSTOWSKI Coricensi, CAROLO CZARLINSKI Conventus Peplinensis Professo, LEORNARDI REMBOWSKI Peplinensi, FABIANO THIEL Suppriore Olivensi, ALEXANDRI KESOWSKI, STANISLAO BAGNIE-

WSKI

wski Priore, Nicolai Dunin Obrensi Abbatum legitimis ex causis absentium, Admodum Reverendo Dño Alexio Dubowicz Archimandrita Vilnensi, Nunciis; peracto sacro ritu solenni per Illustriss: Dñum Archiepiscopum Gnesneñ: Missæ officio, invocataq; Spiritus Sancti gratiâ, susceptum Synodi negotium aggressi sunt, & ad Decreta Statutaq; Synodalia facienda processerunt.

De professione Fidei.

AD testificandam in Religione Catholica & obedientia Sedis Apostolicæ constantiam, inhærendo Decreto SS. Concil: Trident: *Sess: 25. de Ref: cap: 2.* Illustrissimus Dñus Archiepiscopus in prima hac sua post sui ad Archiepiscopatum evectionem Synodo, cum reliquis Illustrissimis & Reverendissimis Dñis Episcopis, ac aliis supramemoratis, Fidei Professionem ex formula PII IV. faciendam decreverunt, feceruntq;.

Cùm sæpè contingat ad beneficia præsertim in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis eos promoveri, qui per Procuratores fidei professione factâ, & possessione beneficiorum aditâ, ipsi nunquam Ecclesias dictorum beneficiorum accedunt, & de altari viventes, altari servire prorsus negligunt, præsens Synodus statuit, ut quemadmodum SS. Concilii Trident: Decreto de beneficiis quibuscunq; curam animarum habentibus provisi, professionem fidei intra duos menses à die adeptæ possessionis coram Episcopo vel ejus Vicario facere obligantur, ita etiam Cathedralium & Collegiatarum Ecclesiarum Præ-

lati & Canonici, post Canonicam ad Prælaturas & Canonicatus institutionem, saltem intra sex mensium spatium Ecclesias Prælaturarum, Canonicatuumq; suorum personaliter accedere, & Catholicam Religionem ex formula Bullæ supramemoratæ in Capitulo profiteri teneantur, sub pœna in memorato Concilii Decreto expressa, ac etiam privationis, si quis Prælatorum aut Canonicorum crescente contumaciâ, ultra annum, personalem ad Ecclesiam Canonicatusq; sui accessum, & fidei professionem distulerit, nisi fortè ob justas & legitimas causas à Sede Apostolica approbandas præscriptum accedendæ Ecclesiæ, emittendæq; professionis tempus prorogari, rigoremquè Constitutionis præsentis relaxari oporteat.

Illustrissimi quoque & Reverendissimi Domini Archiepiscopi & Episcopi intra sex mensium tempus, ab accepto ad capiendam possessionem Brevi, ad Ecclesias suas ingrediantur, Bullas provisionum in Capitulis exhibeant, & professione fidei factâ, juxta formam in Pontificali Romano præscriptam, juramentum solitum secundùm formulam, quæ habetur in Capitulis Ecclesiarum Cathedralium, sine ulla exceptione, restrictione, limitatione, & interpretatione præstent.

De Rescriptis Sanctæ Sedis Apostolicæ.

MUlta utilissimè ad bonum Ecclesiæ Dei regimen à Sede Apostolica constituuntur, quæ quia ad notitiam hujus Provinciæ non deveniunt, executioni debitæ mandari non possunt. Supplicandum igitur suæ Sancti-

tati censet, & supplicat præsens Synodus, ut Bullæ omnes & Constitutiones, quæcunque Româ ad Illustrissimos Dominos Nuntios dirigantur, pro faciliori notificatione, quorum muneris erit curare, ut eæ Archiepiscopis, Episcopis, totiq; Provinciæ Polonæ innotescant.

De Festis.

PEculiarem nonnullarum hujus Provinciæ Dioecesum erga Conceptionem Beatissimæ & immaculatæ Virginis devotionem, præsens Synodus universis Dioecesibus cupiens esse communem, ut memoratæ Conceptionis Festum, cum Octava per totam Provinciam ex devotione tantùm celebretur, monet & hortatur.

Breve Beatificationis Beati Josaphat Archiepiscopi Polocensis, ad instantiam Episcoporum & Monachorum Sancti Basilii Græci ritus, Actis suis Synodus inseri, & per totam Provinciam publicari voluit, & mandavit; atq; suæ Sanctitati supplicandum pariter censuit, & supplicat, ut diem ejusdem Beati Martyris non solùm per Provinciam Polocensem, ac totam Metropolim Russiæ, sed etiam per totam Poloniam, à Sacerdotibus Latini ritus, Officio & Missâ de Communi unius Martyris, celebrandi sua Sanctitas faciat potestatem.

Ut in tanta Parochianorum à Parochialibus Ecclesiis distantia, & temporum necessitate, ex religiosis animis laboriosæ plebis, quàm de dimidiatorum (ut vulgò vocant) Festis Ecclesiæ præceptum solicitam reddit & anxiam omnis scrupulus eximatur, quod Constitutione

Macie-

Maciejoviana ſtatuitur, ut diebus Feſtis Transfigurationis, Præſentationis, Sanctæ Mariæ ad nives, Diviſionis Apoſtolorum, Vinculorum Petri, Converſionis Pauli, Sanctorum Lucæ & Marci Evangeliſtarum, Gregorii, Ambroſii, Hieronymi, Auguſtini, Eccleſiæ Doctorum, populus auditâ Miſſa laboribus & operis liberè vacet, id conſilii non præcepti vim habere declarat Synodus, & alias juxta Conſtit. S.M. URBANI Papæ VIII. de obſervatione Feſtorum quæ incipit: *Univerſa.* Ut autem omnia Regni Patronorum officia ritè & ordine ſuo peragantur, ad ea ordinanda Illuſtriſſimum & Rñdmum Dñum Georgiũ Tyſzkiewicz Epiſcopũ Samogitiæ Synodus deputavit.

De Caſibus reſervatis.

VT commoditati & memoriæ Parochorum & Vicariorum omniumq; Confeſſariorum conſulatur, caſuum Papæ & Ordinariis reſervatorum, Cathalogum & Indicem typis recudendum Sancta Synodus cenſet: atq; ut in omnibus Eccleſiis in quibus confeſſiones audiuntur, ſellis confeſſionalibus affixi habeantur, & audientibus confeſſiones in promptu ſint, authoritate præſentis Decreti, mandatur omnibus Parochis, Commendariis, Vicariis, & quibuscunq; Pœnitentiariis, ſub pœnis Illuſtriſſimorum DD. Lociordinariorum, aut eorum Officialium, vel etiam Archidiaconorum in Viſitationibus, ac Decanorum Ruralium in Congregationibus arbitrio infligendis.

De redimendis Captivis, & Ministris Hæreticorum Ecclesiæ reconciliatis.

INter præcipua Christianæ pietatis officia censentur ea, quæ non minùs corporibus quàm animabus exhibentur, quo in genere cum jure meritò ponatur & numeretur Christianorum in potestatem infidelium devenientium, & miseram cum præsentissimo defectionis à religione periculo servitutem servientium redimendorum, & liberandorum cura, eam præsens Concilium suscipere constituit. Cùm autem ad eum effectum Illustrissimus olim Andreas Lipski Episcopus Cracoviensis summam decem millium florenorum per Executores ipsius Testamenti in bonis Reverendissimi Dñi Pauli Piasecki nunc Chelmensis tunc Camenecensis Episcopi Biskupice dictis, atq; in Palatinatu Lublinensi sitis, ex censu reemptionali locatam, & per eundem Reverendissimum inscriptam legaverit, & Generosus olim Samuel Targowski Villam suam hæreditariam donaverit, & ejusdem reditus perpetuis temporibus pro redemptione Captivorum converti voluerit, præsentis Synodi authoritate, Illustrissimis & Rñdissimis Dñis Posnaniensi & Camenecensi Episcopis committitur, ut diligenter attendant, ne summa, & Villæ memoratæ, censusq; & fructus inde provenientes, præter intentionem testatoris & donatoris disponantur & convertantur. Atque ad similia Christianæ pietatis opera, cùm se ipsam tum omnes Christi fideles exhortatur, exhortariq; in publicis concionibus omnibus Verbi Dei Prædicatoribus mandat, & præcipit.

Non

Non minor quàm captivorum habenda eſt cura Miniſtrorum hæreſim ejurantium, ut rerum ad uſum neceſſarium ſufficientia, & converſis omnem pœnitentiæ vel ſaltem tentationis occaſionem ſubtrahat, & ad converſionem proclives ad Matris Eccleſiæ gremium alliciat & impellat, maximè cùm multi non contumaciâ voluntatis, ſed famis & inopiæ metu in errore dicantur perſiſtere, putenturq; non difficile hæreſim deteſtaturi, ſi ſuis vitæ & victus rationibus ab Eccleſia proſpectum eſſe videant. Proinde Illuſtriſſimi & Rñdmi Dñi Archiepiſcopi & Epiſcopi Catholicæ Religionis, & perditarum animarum quærendarum zelo, charitatiſq; proximi ardore, promiſerunt ſe, in ſua quemq; Diœceſi de congrua & convenienti reconciliatorum Eccleſiæ Romanæ Miniſtrorum ſuſtentatione, pro ſtatu & conditione cujuſq; proviſuros.

Ac inprimis, ex reſiduo relictæ hæreditatis Illuſtriſſimi olim & Rñdmi Dñi Jacobi Zadzik Epiſcopi Cracovień: quam ille vir propagandi honoris Divini ſtudioſiſſimus, & æternâ memoriâ dignus, in pios uſus & pauperum ſubſidium effundi voluit, Illuſtriſſimus & Rñdiſſimus Dñus Archiepiſcopus Gneſneń: uti Primarius ejus Teſtamenti Executor, accedente aliorum Còéxecutorum conſenſu, ſvaſu multorum Illuſtrium Virorum, Centum millia Floreń: in ſuſtentationem redeuntium ad Eccleſiam Catholicam Miniſtrorum aſſignavit: nimirum ut præfatis Centum millibus Florenorum, in bonis terreſtribus ex cenſu reemptionali collocatis, cenſus ab eis proveniens

primò

primò & præcipuè inter Ministros hæresim ejurantes, tum etiam inter alios, qui relicto errore ad Ecclesiam Catholicam redibunt, quotannis distribuatur. Cujus quidem rei cura Venerabili Capitulo Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis commissa & demandata est.

De ratione augendi Proventus Vicariorum in Ecclesiis Collegiatis.

PRælatorum & Canonicorum in plerisq; Collegiatis Ecclesiis rari aut pauci plerumq; residere, prout tenentur, solent: quòd beneficia in Ecclesiis majoribus habeant aut sperent; Vicariorum autem, quibus totum propè Prælatorum & Canonicorum onus & aliquando etiam animarum cura incumbit, proventus adeò sunt tenues, ut vix uni aut alteri sustentando sufficiant, atq; ita fit, ut Ecclesias propè desolari, cantumque & Divina officia conticescere sit necesse. Ne igitur Ecclesias præfatas desolari, & cultum Divinum negligi contingat, poterunt Illustrissimi Dñi Locorum Ordinarii ad præscriptum S. Concilii Trident: *Sess: 21. cap: 5. & cap: 13. & 15. Sess: 24. de Reform:* respectivè exiguos Vicariorum, præsertim curam animarum habentiũ, proventus augere.

De Provisionibus Vicariorum non deserendis.

QUamvis S. Concilii Tridentini Decreto, & Pastorali Illustrissimi olim Bernardi Maciejovii S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis & Archiepiscopi Gnesnensis Constitutione providentissimè cautum sit, ne Clericus

sæcula-

ſæcularis cum dedecore ordinis mendicare, aut ſordidum aliquem queſtum facere, ſedibuſvè incertis vagari cogatur; ideoquè quamvis aliàs idoneus ad Ordines Sacros, niſi beneficium, aut aliquam proviſionem certam & congruam habere ſciatur, admitti, ac Eccleſiam in qua proviſus erat, inconſulto Ordinario, vel ejus Officio, dimittere prohibeatur: quia tamen pleriq; Vicarii ſimul ac ad Sacros Ordines promoti fuerint, proviſiones ſuas, ad quas ordinati ſunt, deſerere conſveverunt, ac eo ipſo non obſcurè demonſtrant, ſe fictis & ementitis titulis. Ordinariis, Archidiaconis, & Examinatoribus impoſuiſſe, atq; in fraudem Ordines obtinuiſſe, præſens Synodus Decretum S. Concilii Trident: & Conſtitutionem Maciejovianam ad executionem omninò deducere cupiens, ſtatuit, ut ad Vicariatus Parochialium præſertim Eccleſiarum ordinandi, non ſolùm Eccleſiam in qua proviſi fuerint, inconſulto Ordinario, aut ejus Officio, ſub pœna ſuſpenſionis ab executione Ordinum, non dimittant; ſed etiam coram Actis Ordinarii, vel Officialis, in cujus territorio eſt Eccleſia, cui adſcribi ſe velle præſeferunt, jurent ſe abſq; Ordinarii vel ejus officii expreſſo, & in ſcriptis obtento conſenſu, Eccleſiam proviſionis non dimiſſuros; nec Rectores Eccleſiarum abſq; ejuſmodi conſenſu quemquam Vicariorum ad Eccleſias ſuas recipere poterunt, ſub pœna centum Marcarum, pro redemptione captivorum applicanda.

De Scul-

SCultetiæ glebæ adſcriptæ iu bonis Archiepiſcopalibus, & Epiſcopalibus, quæ obſequiis Domino præſtandis oneratæ ſunt, poſſeſſoribus & eorum ſucceſſoribus legitimis, nonniſi ex cauſa inutilitatis adimantur, cùm certum ſit rem familiarem plerumq; meliùs ab hæredibus ſucceſſorum, certis & ſuorum æquè ac ſua commoda ſpectantibus & quærentibus, quàm à temporaneis & advitalibus, & alienum ſucceſſorem accepturis, Dominis adminiſtrari; ob eamque cauſam & Sculteticas deſolationi minùs obnoxias, & obſequia Sculteterum Epiſcopis debita, certiora diuturnioraq; futura meritò ſperari poſſit. Quam Conſtitutionem etiam ad Molendina, quæ certo numero definita, vel tertias quaſq; frumentorum menſuras, prout conventum eſt, pendunt, extendi expedire, nec ea unquam niſi molitoribus peritis concedere viſum eſt Synodo. Privilegia ſuper Advocatiis ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Dño Archiepiſcopo & Epiſcopo data ceſſionariò, nulla ſint. Advocatiæque ſucceſſoris Archiepiſcopi vel Epiſcopi diſpoſitioni ſubjaceant, niſi ceſſio advocati poſſeſſoris & Capituli conſenſus viginti ſaltem diebus mortem aut tranſlationem Archiepiſcopi vel Epiſcopi dantis præceſſerit.

De penſione Judicum deputatorum.

CUm dignum eſſe operarium mercede ſuâ, & neminem ſuis militare ſtipendiis Divina humanaque decernant, jura, Judicum ad Generale Regni Tribunal

deputa-

deputatorum, qui Ecclesiis utilem, non sine sua mole- stia, labore, sumptu, ac invidia, navant operam, maxima habenda est ratio. Et quia prorogato Judiciorum Lublinensium tempore, auctus est & Deputatorum numerus, stipendium etiam augeri censuit Synodus oportere. Itaq; Illustrissimi & Reverendissimi DD. Archiepiscopi & Episcopi, ac Rñdissimi DD. Abbates, & Praepositi praesentes à se, Nuntii verò absentium à suis Praelatis promiserunt, singulos Illustrissimorum & Reverendissimorum Dñorum Archiepiscoporum, & Episcoporum, Abbatum, & Praepositorum, suae quemq; Ecclesiae & Dioecesis deputato, usitatam hactenus pensionem duplicaturos, eâ tamen lege & conditione, ut quod ab Episcopis Graeci ritus pensionis nomine conferetur & contribuetur, id solis Ecclesiarum Russiae deputatis debeatur. Si tamen Petricoviam pro electione Mareschalci convenerint, & Lublini continuò resederint, aliàs si die electionis Mareschalci Petricoviam se non stiterint, & Lublini continuè non manserint, à participatione stipendii excludantur.

De Procuratore ad causas Clericorum in Judiciis.

DE bonis, decimis, censibus, pauperum Parochorum ac aliorum Clericorum, per Procuratores Illustrissimorum & Rñdissimorum DD. Archiepiscoporum & Episcoporum vindicandis, omnes retroactarum Synodorum Constitutiones, quae à Sede Apostolica approbatae fuerint, authoritate praesentis consilii renovantur & reassumuntur. Sed nè soli Illustrissimi Domini fovendorum dictorum

Procuratorum onere graventur, & propriarum impensarum metu, rem Ecclesiis adeò utilem, impediant, aut morentur & negligant; expedire visum, est, singulas in posterum Dioeceses habere in Tribunalibus præsertim Regni, litium causarumq; Ecclesiarum suarum Patronos, qui Ecclesiis eorumq; Rectoribus, non solùm Illustrissimorũ & Rñdmorum DD. Archiepiscoporum & Episcoporum liberalitate, sed etiam certa Dioecesani Cleri pensione obligentur. Quæ quidem pensio à Locorum Ordinariis per Decanatus constitui, & à Decanis ruralibus servari, ac inde sumptus in necessarias, & per officium Locorum Ordinariorum permissas lites subministrari, & demùm quòd eo nomine à Decanis acceptum fuerit, id finitâ & obtentâ causâ eisdem Decanis restitui debebit.

De Gratiis.

VT; Illustrissimi & Reverendissimi DD. Archiepiscopi & Episcopi habeant, unde Prælatorum & Canonicorum residentium, ac familiarum, quorum promptam, crebram, diligentem ac utilem, in Ecclesiarum negotiis experiuntur operam, obsequia & merita remunerentur, nec in unius sinum omnes copiæ congerentur; Villæ, decimæ, & aliæ gratiæ, quæ à mensis Archiepiscopalibus & Episcopalibus dependent, nulli qui Episcopatum Regni, vel beneficium Regulare, sive in titulum, sive in Commendam assecutus fuerit, & in gremio Capituli non fuerit, conferantur, & statim post assecutionem Episcopatûs, vel beneficii Regularis, dimissamq; in Cathedrali

Præla-

Prælaturam vel Canonicatum, ipſo facto diſpoſitioni Illuſtriſſimorum DD. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum ſubjaceant, nec ullus contradicendi locus relinquatur.

De Clericis fugitivis.

ACcidit nonnunquam, Sacerdotes, aliosq; Clericos, conſcientiâ delictorum, promeritarumq; & per ſententiam latarum pœnarum metu, ſolum vertere, & deſertis Eccleſiis ac beneficiis ad alienas Diœceſes commigrare. Quare Sacra Synodus Eccleſiarum orbitati conſulere cupiens, ſtatuit primùm, ut ejuſmodi profugarum beneficia ſequeſtrentur, & fructus fabricæ Eccleſiarum applicentur. Deinde ſi per edictum publicum citati in decurſu trium menſium non redierint, pœnis arbitrariis puniantur, & poſtquam de illorum reſidentia innotuerit, ad requiſitionem Ordinarii, Eccleſiarum & beneficiorum deſertorum, per officium in cujus territorio commorabuntur, capiantur: & ad officium loci in quo deliquerunt remittantur. Atque ut efficaciùs his Clericorum transfugiis occurratur, nullus Clericus ad ullam alienæ Diœceſis Eccleſiam ſine ſui Ordinarii dimiſſoriis recipiatur & admittatur. Quod ſi quis Reverendiſſimorum DD. Epiſcoporum, aut eorum Officialium, ad Diœceſim & territorium ſuum, aut Rectorum Eccleſiarum, ad ſuam Eccleſiam hujuſmodi transfugam, delictorum pœnas fugientem, abſq; prædictis dimiſſoriis receperit, aut admiſerit, Epiſcopus quidem pœnâ in Concil: Provinciali decernenda puniatur, Officialis autem &

Ecclesiæ Rector mulctâ centum Marcarum sine ulla veniæ spe mulctetur, ad præscriptum S. Concil: Trid: *cap:1. sess: 23. & cap: 5. sess: 24. de Reform:*

De Musica docenda.

CUm ob imperitiam cantus magna sit tam in Cathedralibus & collegiatis Ecclesiis Vicariorum, quàm in Parochialibus Cantorum penuria, intermissum Musicæ studium omninò revocandum censuit Synodus, atq; ut in omnibus Civitatibus Oppidis, & Pagis, ubi major est Scholarium frequentia, Parochi & ij ad quos scholarum gubernatio, & admittendorum & dimittendorum cantorum cura spectat, Cantores habeant artis canendi peritos, qui singulis diebus horam integram continuam, vel interpellatam, prout illis commodiùs videbitur, impendant imbuendæ Musicæ præceptis juventuti; quod etiam in Seminariis, quæ reguntur à Patribus Societatis Jesu observandum erit, in quibus etiam erudiri poterunt ij, qui in illis non aluntur, pro arbitrio tamen Rectorum eorundem Seminariorum.

Clerici habitu decenti & modesto utantur.

VT per decentiam habitus extrinseci (quemadmodum loquitur S. Concil: Trident:) morum honestatem ostendant Clerici, omnia superiorum Synodorum de habitu Clericorum decreta authoritate hujus Concilii renovantur, & specialiter prohibetur, nè comas absquè causa raritatis capillorum aut calvitii, ad portentosam

proli-

prolixitatem promittant; nevè rubris, violaceis, ceruleis, aut alterius quàm nigri coloris ſutannis, palliis, & ut vulgò vocant palendris, & curtis veſtibus, præſertim in Eccleſia, ac etiam extra domum, aut pretioſis pellibus, paſſim ſine ullo nobilis & plebejæ conditionis diſcrimine (exceptis Prælatis, & Canonicis Cathedralium & Collegiatarum inſigniorum Eccleſiarum, Doctoribus, ac familiaribus Illuſtriſſimorum Dñorum Epiſcoporum) utantur; aliâs quicunq; Clericus comatus, poſt menſem à publicatione præſentis Concilii, aut clarioris nigro coloris veſte, in Eccleſia, aut extra domum, curtâ & non talari veſte indutus foris, niſi fortè in itinere, vel itineris procinctu, aut pretioſis pellibus, exceptis ſupramemoratis, apparuerit, Prælatus quidem & Canonicus Cathedralis & Collegiatæ Eccleſiarum, in quibus diſtributiones habentur, per menſem à perceptione refectionum ſit ſuſpenſus, alii verò beneficiati pœnâ decem marcarum puniantur, & mulctæ quæ eo nomine exactæ fuerint, in fabricam Eccleſiarum convertantur. Si verò ſemel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum cœrceri poſſunt, juxta Concil: Trid: *Seß: 14. cap: 6. de Reform:*

Quomodo occurendum ſit Presbytericidiis.

FRequentatæ nuper Presbyterorum cædes, nos admonent, ut & ſecuritati hominum Ordinis Eccleſiaſtici proſpiciamus, & ſacrilegiis, quibus impii Clericidæ ſuas obſtringunt animas, occurramus; omnes & ſingulos

Cleri-

Clericos præſens Synodus verbis S. Concil: Trid: hortatur, ut converſatione, ſermone, & ſcientiâ, commiſſo ſibi Dei populo præeant; memores ejus quod ſcriptum eſt: *Sancti eſtote, quoniam & ego ſanctus ſum*; & juxta Apoſtoli vocem, *nemini dent ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium eorum, ſed in omnibus exhibeant ſe ſicut Miniſtros Dei*: nihil enim Sacerdotibus majorem populi amorem & venerationem conciliat opinione ſanctitatis. In particulari autem, abſtineant Clerici à nimia familiaritate, & longis præſertim de nocte conviviis, & compotationibus ſæcularium: nam & familiaris conſvetudo contemptos plerumq; reddit quos vulgavit, & intempeſtivi præſertim ad pocula, teſſeras, & chartas luſorias conſeſſus, jurgiis & conviciis proximam præbent occaſionem, à quibus deinde venitur ad manus, fuſtes, gladios, vulnera & cædes. Quodſi nihilominus Clericidium committi contingat, ſtatutum de excommunicatione contra authores publicanda diligenter ſervetur, nec non pœna interdicti, ad præſcriptum alterius Synodi Provincialis Gnéſnenſis, ſub titulo *de pœnis Fel: record*: GREGORII XIII. confirmatæ 8. April: 1578.

Exorciſmorum uſus paſſim non permittendus.

EXperientia cognitum eſt, in locis ubi Sacerdos qui exorciſmos exercet, & ſine diſcrimine quoslibet exorciſat, habitat, ac in tota vicinia plurimos præſertim mulierculas, quas imaginatione aut alio naturali morbo laborare contingit, maleficiatas & à dæmonibus obſeſſas ſibi

videri,

videri, opinionem futilem & vanam, exorcistâ per imperitiam, aut etiam commodi & emolumenti sui causâ fovente, multaq; absurda ex occasione exorcismorum accidunt, quæ risum & cachinnos in Ecclesiis movent, & scandala pariunt, veramq; miraculorum & super dæmonia potestatis, in Ecclesia Dei relictæ fidem elevant. Quare nè quisquam Sacerdotum aut Clericorum tam sæcularium, quàm Regularium, exorcismis passim super eos, qui à dæmonibus obsessi, aut maleficiati esse putantur, absq; licentia Ordinarii in scriptis obtenta utatur, seriò prohibet Synodus, sub pœnis arbitrio ejusdem Ordinarii contra delinquentes decernendis. Licentiam autem prædictam Illustrissimi Dñi Locorum Ordinarii concedere non debebunt, priusquam de Exorcistarum vita, moribus, doctrina, inquiratur; exorcisandi modus ac exorcismorum libri per Theologos diligenter examinentur & approbentur.

De bonis Archiepiscopalibus, & Episcopalibus, ac juribus Capitulorum.

QUæ olim ad conservandam bonorum Archiepiscopalium integritatem, & statum, in diversis Synodis constituta sunt, & sparsim in statutis Provincialibus lib: 1. de officio Ordinarii Anno Dñi 1561. § *Deinde ut omnes* lib: 5. cap: 11. Epistola Pastorali *de conserv: bon: & Iurium Ecclesiasticorum*, in Synodo Gembiciana tit: *de bonis mensæ*, in Wężykoviana, *de Revisione bon:* scripta reperiuntur, ea omnia præsens Concilium renovat & omnino

mnino servari vult, & præcipit: ac quædam alia non minùs utilia & necessaria adjungens: statuit: Nè Illustrissimi & Reverendissimi DD. Archiepiscopi & Episcopi, aut ipsorum factores, ab injuriis ad capitula deferendis prohibeant, aut minis & verberibus deterreant subditos, nevè se de querelis eorundem subditorum à Capitulis admoneri gravatè ferant, cùm & ad Capitulorum officium pertineat, indemnitati bonorum, & subditorum Archiepiscopalium & Episcopalium providere, & Illustrissimorum DD. Archiepiscoporum & Episcoporum existimationis conscientiæq; plurimùm intersit, pauperū gemitum, quem aliquando diligens multò sibi faventiū familiarium cura ab auribus DD. submovet, per fidelem sui Senatus relationem exaudire, & sublatis gemendi causis comprimere.

Item statuit, nè de injuriis præsertim gravioribus & enormioribus subditorum, ut sunt homicidia, stupra, stigmata, unquam componatur, aut si componere expedire visum fuerit, non sine consensu & interventu Capitulorum componatur & transigatur.

Quia verò nonnullorum Monasteriorum, præsertim eorum, quæ per Commendas à Clericis sæcularibus administrantur, fabrica prorsus est neglecta; Sacra Synodus ruinas Monasteriorum prohibere satagens decernit, ut omnes Reverendissimi Regularium beneficiorum Administratores & Commendatarii, aut certam Monasteriorū ruinosorum partem emendare & restituere, aut pecuniæ quotam, circa suas ad Monnsteria receptiones, per Illustrissi-

ſtriſſimos & Reverendiſſimos DD. Locorum Ordinarios definiendam, pro fabrica & ſupellectili Eccleſiaſtica, ad manus Priorum quotannis tradere teneantur: qui Priores reſtituendorum ædificiorum ſartorumq; tectorũ Monaſterii curam habeant, & accepti & expenſi Commendatariis unà cum aliquo de gremio Cathedralis Eccleſiæ per Illuſtriſſimum & Rn̄dm̄um D. Loci Ordinarium deputando, reddat rationem.

In adminiſtratione bonorum menſæ Capitularis, ac aliis juribus Capituli, obſervetur decretum Sac: Concil: Trid: *ſeſſ: 21. cap: 6. de Reform:* & Conſtitutio Gembiciana *cap: de Iurisdic: Capituli.* Prælati verò & Canonici, ac reliqui omnes beneficiati, ut bona ad Prælaturas & Præbendas, beneficiaq; ſua pertinentia, vindicare, tueri, & conſervare ſtudeant: eorumq; meliorem ſemper faciant rationem, ab Illuſtriſſimis Dn̄is Locorum Ordinariis moneantur, & damna ac vaſtitatem, ſi quæ culpa & negligentia ipſorum in bonis Eccleſiaſticis accidit, præſtare teneantur, & per ſequeſtrationem fructuum, qui in reſtaurationem bonorum deſolatorum convertantur, aut alio juris remedio compellantur. Villarum item quæ à Menſis Archiepiſcoporum & Epiſcoporum avulſæ, Capitularibus vel extra Capitularibus perſonis ad vitam, vel ad certum annorum decurſum, aut ad aliud quomodocunq; limitatum tempus, conceſſæ ſunt, reviſio de triennio in triennium inſtituatur; & ſi ex reviſione conſtiterit poſſeſſorem ſeu gratialiſtam bonorum ſibi conceſſorum, deteriorem feciſſe conditionem, aut æſtimationem da-

nni, intra tempus ab Ordinario definiendum solvat, aut possessione moveatur.

Constitutio Wężykoviana de temere litigantibus innovatur, & declaratur.

COnstitutionem Illustrissimi olim clarissimæ memoriæ Joannis Wężyk Archiepiscopi Gnesnensi, de temerè litigantibus, in Synodo Varsaviensi factam, innovandam & reassumendam censet, innovatq; & reassumit præsens Synodus, cum ea declaratione, ut in repentinis & subitis casibus, in quibus præsens injuria subitam & repentinam requirit justitiam, nec ad Ordinarium facilis est recursus, locum non habet.

De Suffragiis mortuorum.

MIssis cum Vigiliis pro defunctis antiquis Constitutionibus decretas, innovat Synodus, atque singulis Trimestribus seu quartualibus, die aliquo Quatuor temporum celebri ad populum, festo non impedito instituì mandat, & præcipit.

De unione Ruthenorum promovenda.

COnstitutionem Maciejovianam, quæ Schismate Græco divisam Christi Ecclesiam unire cupit & satagit, & ad Pastoris Pastorum votum & gloriam, Ruthenorum Ecclesiæ cum Romana Unionem promovendam, omniq; favore prosequendam, censuit præsens Concilium renovare, & ritus Græci Sacerdotum & Clericorum

percusso-

percussores in Canonem: *Si quis, &c:* incidere, nec à Confessariis Latini ritûs sinè speciali Sedis Apostolicæ authoritate & licentia absolvi posse declarat, juxta tamen Juris communis dispositionem: ac suæ Sanctitati supplicat, ut quod jam olim Romana desideravit Ecclesia magnoq; ad unionem adjumento fore putatur, Calendario Gregoriano Ruthenis uti liceat.

Porrò ut quâ charitate Clerus Romanus Ruthenos unitos complectitur, eandem ipsi Clero Romano exhibeant, monitos esse vult, monetq; Sacra Synodus, nè prærogativas, & jura Episcoporum, Cleriq; Romani sibi usurpent, aut impediant; utq; Illustrissimorum titulis abstineant, torquibus aureis nonnisi ad Missam utantur, Monasticum Sancti Basilii habitum deferant, decimas Latino Clero nefas esse solvi aut reddi non doceant, neq; à suis Popis doceri permittant, nec quidquam quod juribus Latinorum Sacerdotum præjudicet committant. Quodsi in aliquo præmissorum vel similium deliquerint, coram Illustrissimo D. Commissario à Sede Apostolica deputando, conventi respondere, judicatumq; pati tenebuntur.

De Regularibus mendicantibus,

SAcros Religiosorum cætus, magno semper usui & subsidio Ecclesiæ fuisse, & esse fatetur & agnoscit Sacra Synodus; sed cùm ex certa constantique omium ferè Illustrissimorum DD. Episcoporum, Capitulorum, & Rectorum Parochialium Ecclesiarum relatione, gravi cum suo dolore intellexisset, nonnullos Regularium

Ecclesias & Capellas, privatâ authoritate erigere & benedicere; nec non Missas in privatis ædibus Laicorum legere; divinissimum Sacramentum clàm & in sinu ad infirmos deferre, ubi hæresis non grassatur; confessiones sæcularium, absq; approbatione Locorum Ordinariorum, etiam extra sui Ordinis Ecclesias, & casus necessitatis audire, Capellanos, Musicos, pennuarios seu promos & condos apud homines privatos utriusq; sexus, agere, ac alia forsan scandala Regularium, quæ disciplinam Ecclesiasticam dissolvunt, Jurisdictonem Episcopalem violant, Regularem observantiam tollunt, oculos & animos fidelium offendunt; nullo modo id sibi ferendum putavit Synodus. Atq; memorati Regulares monentur, ut se intra limites Claustrorum, Institutorumq; suorum contineant, ab Jurisdictionis Episcopalis usurpatione, & Sacramentorum, præter præscriptum Sacrorum Canonum Concili Trident: & Bullæ Gregorii XV. administratione, Divinissimi Sacramenti irreligiosa gestatione, Missarumq; in locis privatis celebratione, & familiaribus sæcularium cujuscunq; conditionis, obsequiis & ministeriis desistant, & abstineant, omninòq; extra Claustra non solùm delinquere, sed etiam degere caveant, aliâ Illustrissimos & Rñdissimos Dños Locorum Ordinarios, jure sibi competenti, in contra facientes, prout juris usuros & processuros, Concilium denuntiat: atq; ipsis Illustrissimis DD. Ordinariis, eorum Officialibus, ut utantur, & procedant, authoritate Sacrarum Constitutionum injungit. Monentur etiam Rñdissimi Dñi ex Regularibus

Episco-

Episcopi, ut suæ Religionis habitum quisque deferat.

De dimissis & ejectis ex Religionibus.

NE dimissi ex Religionibus & Societatibus, non habentes particularia privilegia à Sede Apostolica, præsertim Presbyteri, qui ad titulum paupertatis ordinati sunt, mendicare cogantur, statuit sacra Synodus, nè sinè gravibus causis, & authoritate ac scitu Ordinariorum, provisioneq; parata dimittantur, aut certè à Religionibus tam diu sustententur, donec illis decreta aliqua & stabili provisione prospiciatur; cumq; dimissionum hujusmodi prima ferè & maxima causa sit, quòd admodùm pueri, & parùm deliberata voluntate, persvasionibus variis tempore professionis, ad emittenda vota pelliciantur, hortatur omnes Religionum & Societatum Patres, ut nonnisi maturos, sponteq; suâ inductos, ad Novitiatum admittant. Item statuit eadem Synodus, nè dimissis & ejectis ex Societate Jesu, ad Cathedralium Ecclesiarum Prælaturas & Canonicatus, sine speciali S. Sedis Apostolicæ gratia, aditus pateat.

De Regularibus.

IN reliquis, quoad Regulares, cujuscunq; Religionis, Congregationis, Societatis, & instituti, observetur Constitut: sá: mem: Gregorii XV. de Exempt: privilegiis incipien: *Inscrutabili Dei providentia.*

Calices

Calices aurei ab Archiepiscopis & Episcopis, Ecclesiis Cathedralibus dandi.

AUreum calicem, Illustrissimi DD. Archiepiscopi, Gnesnensis, Leopoliensis, & Cracoviensis, Vladislaviensis, Posnaniensis, & Plocensis, Luceoriensis Episcopi, suis se Ecclesiis daturos, & donaturos Synodaliter promiserunt: quorum exemplum, etsi Successores etiam secuturos, dictosq; calices liberaliter daturos & donaturos, minimè dubitet Synodus; tamen vel largitatis gloriam etiam obedientiæ merito cumulent, authoritate præsentis Concilii statuitur, ut memorati Illustrissimi Dñi in primo statim ipsorum ad Ecclesiam ingressu, promissos calices dent, & dare teneantur. Reliqui verò Reverendissimi Russiæ Episcopi, qui tenuiores habent reditus, ad similem, quantùm rationes eorum patiuntur, liberalitatem invitantur.

Ne Regularia beneficia à Sæcularibus Clericis sine authoritate Sedis Apostolicæ occupentur.

PRæcipiti cupiditate Sæcularium Clericorum, prava, & Sacris Canonibus damnata Consvetudo sensim introducitur, ut beneficia Regularia, privatâ authoritate, & antequam administrationis & Commendæ literæ expediantur, occupent: cui corruptelæ maturè obviare cupiens Synodus, pœnas *cap: Avaritiæ in 6. & Statuti Provincialis lib: 1. de Electione*, contra tales, ad executionem deduci vult, & ut deducantur; ab Ordinariis, requi-

requirit, & exigit, sub poena interdicti ab ingressu in Ecclesiam.

Bona Ecclesiastica Judæis non arendentur.

INdignum est Judæis subijci Christianos; quare probare non potest nec debet Synodus, quòd nonnulli Illustrissimorum DD. Episcoporum Episcopatuum suorum bona Judæis locantes & arendantes, suum in subditos Christianos imperium & jurisdictionem eis communicent, atq; adeò totaliter in eosdem transferant, ac ut ab ejusmodi locationibus & arendis prorsùs abstineant, & omni in posterum commercio caveant, monet eosdem Sacra Synodus.

In correctione Cleri ordo juris servandus.

GRaviter accepit Synodus, quòd aliqui Illustrissimorum DD. Episcoporum, ad extremas Clericorum etiam Prælatorum, & Canonicorum Cathedralium & Collegiatarum, pœnas præcipitanter, & non servato juris ordine, prosilire præsumant; atque ut in posterum in corrigendis Clericorum excessibus gradus Concilii Tridentini serventur, innovat statutum *lib. 5. cap. 10.* utque liber & securus ad judicia cuique Clericorum sit accessus, ab omni specie minarum, & terroris abstinere debebunt Illustrissimi Locorum Ordinarii, nec ullum nisi legitimè convictum pro modo excessus punient. Prælatos autem & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis, etiamsi alia beneficia extra Ecclesiam Cathedralem

lem habeant, in personalibus, sinè adjunctis Capitularibus, juxta *cap: 6. sess: 25. de Reform.* non judicent: in realibus autem & circa aliorum beneficiorum officia delictis, quamvis absque adjunctis judicari poterint: tamen ut nonnisi coram ipsismet Ordinariis, aut ipsorum Officialibus Generalibus, & quidem circa Ecclesias Cathedrales respondeant, præsenti indulgetur Decreto. Quòd si Illustrissimi Dñi Locorum Ordinarii, non servato juris ordine aut formâ præscriptâ, contra Clericos præsertim Prælatos & Canonicos Ecclesiæ Cathedralis processerint, in Synodo Provinciali causam dicere, & pœnam arbitrio ejusdem Synodi subire teneantur.

Prælati inferiores non residentes habeant suos Vicesgerentes.

NOn sinè magna cultûs Divini diminutione, & boni in Ecclesiis præsertim Cathedralibus ordinis neglectu, ac supellectilis Ecclesiasticæ jactura aut periculo, accidit, quòd Prælati, qui suis Prælaturis inferioribus certa Vicariorum regendorum, scholæ dirigendæ, sacræ supellectilis servandæ, curam habent annexam, & ipsi non resideant, & qui ipsorum vices ex usu & necessitate Ecclesiarum obeant, neminem sufficiant; quare ut qui ejusmodi Prælaturas obtinent, in absentia sua per Vicariam alicujus ex Confratribus operam, officiorum suorum partes exequantur & absolvant, præsenti Synodo monentur & jubentur, sub pœna sequestrationis certæ partis fructuum, arbitrio Ordinarii, ex præ-

bendis

bendis ipsorum detrahendæ; ita tamen ut Prælati abesse non possint, nisi ex causis juxta præscriptum Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini ac Constitutionis san: mem: URBANI VIII. super residentia Episcoporū.

Processus per negligentiam obtenti quomodo tollendi.

SOlent nonnunquam super bonis Archiepiscopalibus & Episcopalibus processus per meram factorum negligentiam, obtineri, qui deinde aliter, quàm aut juratis Capitularium ignorantiis, aut pecuniariis pœnis, tolli non possunt; cum autem vix contingere possit, ut de super nihil omninò ad Capitula notitiæ pervenerit, pecuniæ potiûs jacturâ, quàm conscientiæ famæq; discrimine, dictos processus tollendos esse censuit Synodus.

Interceptores in Judiciis causarum quomodo puniendi, & causæ ex Judicio Tribunalitio non avocandæ.

MAgno incommodo & jactura litigantium, nonnulli Clerici causas ad ultimum Judicii gradum deductas, & supremam sententiam expectantes, intercipiunt, & temporaneis inscriptionibus, aut aliis instrumentis in fraudem confectis, productis, litem propè finitam inchoare compellunt. Quare ut & rationibus litigantium consulatur, & dolosa intervenientium temeritas & audacia reprimatur, statuit Sacra Synodus, ut quicunq; Clericorum causam in Judicio agitari cæptam, fraude & dolo interceperit, litemq; suam fecerit, carceri per integrum semestre mancipetur, & exinde dimissus ex Diœcesi eti-

 am pro-

am proſcribatur. Non ſinè magno præjudicio Cleri, nonnunquam cauſæ in Judicium Tribunalitium per appellationem devolutæ, ad officium Illuſtriſſimorum Dominorum Ordinariorum avocari ſolent; quod nè in poſterum fiat, & cujusvis juſtitiæ non impediatur, ſeriò prohibet Synodus.

Inhibitiones à Judicibus appellationum juxta præſcriptum juris extradendæ.

CUm omnes Archiepiſcopi & Epiſcopi, Diœceſanorum ſuorum ſint Judices Ordinarii, nec eorum Juriſdictio ullo modo imminuenda, turbanda, & impedienda ſit, ſtatuit Sacra Synodus, ac inviolabiliter obſervari vult, nè Judices appellationum, Inhibitiones, niſi viſis Actis primæ inſtantiæ, & juxta formam in Concil: Trident: & à CLEMENTE VIII. *Seſſ: 24. capt 20. de Reform:* præſcriptam, ex Cancellariis ſuis edi, & extradi jubeant, aut permittant; & aliter editis Inhibitionibus, impunè non pareatur. Acta autem Notarius Judicis, à quo intra decem dies extradere teneatur, alioquin Judex, ad quem ulterius procedet.

Incorporationes Eccleſiarum Parochialium ad Regulares.

CUm incorporationes Eccleſiarum Parochialium Regularibus Eccleſiis, plurimùm & Juriſdictioni Epiſcoporum derogent, & curam animarum reddant neglectiorem; ſupplicandum cenſuit Synodus Regiæ Majeſtati, nè dictis Parochialium jurispatronatus ſui incorporationibus, conſenſum ſuum præbere, & jus patronatus donare cuiquam dignetur,

Atq;

Atque ne curam animarum ullatenùs negligi contingat, Ecclesias Parochiales jurispatronatus quorumcunq; Sæcularium Regularibus uniendi, nullā deinceps potestatē habeant Ordinarii.

Limites inter Vilnensem & Smolenscensem Diœcesim designandi

PLurimùm interest diversas Diœceses certis finibus distingui, quare ut Illustrissimus Dñus Episcopus Vilnensis, suam Vilnensem à Smolenscensi Diœcesi dislimitari permittat, curet, & faciat, authoritate Synodi monetur; atque ad limites dictis Diœcesibus ponendos, Illustrissimus Dñus Episcopus Samogitiæ cum Capitularibus ex Capitulis, tam Vilnensis, quàm Smolenscensis Ecclesiarum, deputatur.

De Suffraganeis, Culmensi, Præmisliensi, & Camenecensi.

SUpplicat præsens Synodus Sanctitati suæ, ut in erectione & expeditione Suffraganeatuum, Culmensis, Præmisliensis Ecclesiarum, ob amplitudinem earum Diœcesum, non difficilem se præbeat.

Causæ Decimarum inter Clericos & Regulares, intra fines Regni decidantur.

NE Ecclesiæ præsertim Parochiales debitis fraudentur obsequiis, & pauper Clerus diuturnis ac imparibus vexetur exhauriaturque impensis, supplicat Synodus suæ Sanctitati, ut Causæ & lites inter Clerum sæcularem, maximè ratione Decimarum in Judicium deductæ, intra fines Provinciæ decidantur, salvâ tamen appellatione ad Sedem Apostolicam.

De Usuris.

GRavi cum suo dolore referri audivit Synodus, nonnullos etiam Ecclesiastici Ordinis, atq; adeò Regularis observantiæ homines, fœnori dare pecuniam, & merè ex mutuo, prohibita & damnata, eaq; non exigua lucra, sinè ullo conscientiæ scrupulo, pacisci & quærere; necessarium igitur censuit Synodus, omnes Christi fideles admonere, Usurarios gravissimo peccato, & à quo absolvi non possunt nisi restituerint, quidquid ultra

 fortem

ſortem acceperint, ſeſe obſtringere; & ſi manifeſti fuerint, ab Altari repelli, ac niſi reſipiſcant excommunicatos denuntiari, ac demùm, Eccleſiaſticâ privari ſepulturâ, a ſacris Canonibus juberi & decerni, quas pœnas uſuris & uſurariis, & vetera Provincialia ſtatuta propoſuerunt, & præſens proponit.

Ne autem per ignorantiam animas fidelium gravibus peccatorum & cenſurarum vinculis onerari & alligari contingat, ea peccatorum genera, in quibus & lapſus eſt proclivior, & animadverſio Eccleſiæ rigidior, ſæpiùs animis & memoriæ imprimere & inculcare convenit. Quare Capitula Concil: Trident: *ſeſſ: 22. cap: 11. ſeſſ: 25. cap: 20. contra occupantes quomodocunq; bona &c:* & *ſeſſ: 24. cap: 8. de Concubinariis*, & Statuta Provincialia *de foro competenti*, De uſuris & ſortilegiis, Dominica primâ Adventus, & Quadrageſimæ, ac Bullam Cœnæ Domini, in Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & Regularibus Eccleſiis, publicari, mandat & præcipit Synodus, juxta Decretum Sacræ Congregationis negotiis Epiſcoporum præpoſitæ.

Librorum approbatio, & Bibliothecarum reviſio.

DE non imprimendis abſq; reviſione & approbatione libris, ac revidendis ad minus ſemel in anno Bibliothecis, Bibliopolisq; ſuſpectos & hæreticos libros vendentibus, renovantur antiqua Provincialia ſtatuta Anni 1402. *de officio Ordinariorum lib: 1. & lib: 4* titulo *de Hæreticis lib: 5. cap: 25. & 27.*

Cùm autem Excellens Dñus Andreas Petricovius J. U. D. libros ad uſum Eccleſiarum neceſſarios, quorum magna eſt jam penuria, Rituale ſive librum Agendorum, Pſalterium, & Conſtitutiones Synodales, operâ ſumptuq; ſuo impreſſerit, ac Antiphonarii editionem in dies promittat, indemnitati ipſius præcavendo præſens Concilium prohibet, nè præter ejus voluntatem & licentiam, ulli Typographorum prædictos libros, vel eorum compendia imprimere, & Bibliopolarum divendere, ad futurã Synodum Provincialem, liceat. Quod ſi quis Typographus memeratos libros, aut eorum compendia, ſub cujuſcunque titulo Typis mandare, aut Bibliopola vendere, in quacunq; Regni Poloniæ & Magni Ducatus Lithvaniæ Diœceſi, abſq; ſpeciali præ-

fati An-

fati Andreæ Petricovii permiſſu in poſterum præſumpſerit, pœnis in Conſtitutione Wężykoviana Petricoviæ ſancitis, authoritate præſentis Decreti ſubjaceat.

Ne Clerici Seculares Regularibus Miſſam in ſuis Eccleſiis cantantibus miniſtrare audeant.

INter ſingularia & propria tam Sæcularium quàm Regularium Eccleſiarum decora & ornamenta, etiam hoc numerari poteſt & debet, ut ſui quiſq; Ordinis Miniſtris circa officia Divina utatur; quare quemadmodùm in Eccleſiis ſæcularium ſacrificanti ſolenniter ſæculari Sacerdoti miniſtri non aſſiſtant Regulares, ita in Eccleſiis Regularium cantanti Miſſam Regulari miniſtrare non audeant Clerici ſæculares, abſq; licentia Loci Ordinarii vel Officialis, idq; ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio Ordinum ipſo facto incurrenda.

De abſentibus à Synodo.

QUamvis pœnæ contra abſentes, tam in Comitiis proximè præteritis, quàm Synodo præſenti, juxta Conſtitutiones prætentarum Synodorum, præſertim Wężykovianæ in Synodo Varſavieñ: ſancitæ, decernendæ eſſent, benigniùs tamen cum illis procedens præſens Synodus, eaſdem ipſis indulſit & condonavit: nihilominùs tamen Conſtitutionibus ſupra recenſitis innovatis, reaſſumptis, ac in ſuo robore & vigore, authoritate Concilii præſentis, conſervatis, roboratis: cum eaq; declaratione, quodſi deinceps Illuſtriſſimi & Rñdiſſimi DD. Archiepiſcopi & Epiſcopi à Comitiis & Synodis, Reverendiſſimi verò DD. Abbates à Synodis abfuerint, cauſaſq; abſentiæ legitimas juramento probandas non dederint, & Nuntios non ſolùm ad comparendum, ſed etiam recipiendum approbandum ea quæ in Synodis conſtituentur & decernentur, non miſerint, ſciant pœnas in Conſtitutione Wężykoviana expreſſas ſibi irremiſſibiliter ſolvendas fore; ad quod officium Inſtigator Synodaliter deputabitur. Inſuper ſi quem ordine inverſo vocatum fuiſſe, vel debito in loco non ſediſſe, ſententiam tuliſſe, ſeſſionibus interfuiſſe, & alios quoſcunq; actus Synodo durante feciſſe contingit, nulli

propte-

propterea præjudicium aliquod generari, aut novum jus acquiri debere, declarat Synodus.

Porrò nè Reverendissimi DD. Episcopi & Capitula, ullum absentiæ suæ prætextum, aut indictæ Synodo contradicendi causam, vel occasionem habeant, Constitutionem Rñdissimi olim Joannis de Lasco Archiepiscopi Gnesnensis, quâ modus indicendæ Synodi præscribitur, Sacra Synodus reassumendam censuit, & reassumit.

Deputati ad revidendas & corrigendas Constitutiones.

CUm nonnullos Illustrissimorum & Reverendissimorum Dominorum Episcoporum, urgentibus & legitimis ex causis, abitum Varsaviâ maturare necesse foret, nec ea quæ Synodaliter constituta sunt relegere, & emendare liceret, Illustrissimos & Reverendissimos DD. ANDREAM SZOLDRSKI Posnañ: ALEXANDRUM TRZEBINSKI Præmislieñ: ALEXANDRUM SOKOLOWSKI Kijovieñ: ANDREAM LESZCZYNSKI Camenecensem, Episcopos, Illustrem & Adm Rñdos ALEXANDRUM GLEMBOCKI Archidiaconum, SIGISMUNDUM CIELECKI Canonicũ Ecclesiæ Metropolitanæ Gnesnensis, JOANNEM TARNOWSKI Archidiaconum Cathedralis Cracovieñ: Capitulorum, Nuntios ad revidendas, & ex mente Synodi corrigendas Constitutiones, unanimi consensu Synodus deputavit.

Andreas Szoldrski Episc: Posnanien: Alexander Trzebinski Episcopus Præmisliensis Vice-Cancellarius Regni. Alexander Sokolowski Episcopus Kijovien: Andreas de Leśno Lesczynski Episcopus Camenecensis, Alexander Glembocki Archidiaconus Gnesnen: Sigismundus Cielecki Præps: Posnaniensis Ioannes Tarnowski Archidiaconus Cracoviensis.

Et ego Adamus Casimirus olim Simonis Oporowicz Archidiœcesis Gnesnensis Presbyter, Sacrâ Authoritate Apostolicâ publicus atq; Curiæ Illustrissimi & Rñdissimi Dñi D. MATTHIÆ ŁUBIENSKI Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archiepiscopi Gnesnen: & Actorum Synodalium Notarius, suprascriptis omnibus Decretis, dum sic agerentur interfui, eaq; fieri vidi, audivi, scripsi, & ex Protocolo Actis & originalibus descripta, ac cum eisdem collationata & auscultata fideliter signo, nomin & cognomine solitis in fidem præmissorum communivi, rogatus & requisitus.

MATHIAS ŁUBIENSKI
Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ
ARCHIEPISCOPUS GNESNENSIS,
Legatus Natus, Regni Poloniæ
Primas primusq; Princeps.

UNiversis & singulis, præsentia Decreta & Constitutiones Synodi Provincialis inspecturis, lecturis, & audituris, notum facimus & attestamur, Reverendum Dominum Adamum Casimirum Oporowicz esse publicum & Actorum Synodalium fuisse Notarium, ejusq; scriptis & Instrumentis semper & ubiq; debere fidem adhiberi In quorum omnium fidem easdem manu Nostrâ subscripsimus & Sigillo communiri jussimus. Datum in Palatio Nostro Skiernievicensi die vigesimâ primâ Martij, Anno Domini Millesimo Sexcentesimo Quadragesimo quarto.

Mathias Łubienski
Archiepiscopus Gnesnensis.

(*Locus Sigilli.*)

APPROBATIO

NOs Petrus Aloysius Tituli S. Martini in Montibus S.R.E. Presbyter Cardinalis Carafa nuncupatus, nomine Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, Fidem facimus & attestamur, Decreta Synodi Provincialis Gnesnensis in hoc libello descripta paginarum numero Triginta Trium: quarum prima incipit, Acta & Constitutiones; ultima verò desinit, Matthias Łubienski Archiepiscopus Gnesnensis, Locus sigilli, fuisse, ut supra ab eadem S. Congregatione Concilii emendata, recognita, atq; approbata, eorundemq; Decretorum originale apud eandem Sacram Congregationem remansisse. In quorum fidem has propriâ manu subscripsimus, & ab Infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario subscribi, Sigilliq; Nostri impressione muniri mandamus. Datum Romæ die X. Decembris M.DC.XLV.

Petrus Aloysius Cardinalis Carafa.

Locus Sigilli

Franc: Paulutius S.C.C.S.

1825a